

TITULUS IV.

DE SPONSA DUORUM. ^a

48. Q. I. *An ex sponsalibus oriatur impedimentum juris naturalis, prohibens contrahere cum alia?*

R. 1.^o Affirmativè, ex c. 4. h. t.; nam spectato jure naturali, res uni promissa, alteri illicitè traditur, cum prima fides violetur; sed per sponsalia promittitur sponsæ corpus et futurum matrimonium; ergò licitè alteri tradi non potest. Si tamen tradatur, inito matrimonio de præsentì, valet matrimonium (*cit. c. 4. h. t. et c. 22 et 31 de sponsal. et arg. l. 15. C. de R. V.*), quia vinculum matrimonii fortius est sponsalibus.

2.^o Sponsalia dissolvere regulariter non potest Papa, nisi vi dominiù alti ex justa et gravi causa; nam Papa ligatur jure naturali; neque jus alteri quæsitum tollere potest, nisi adsit justa causa sufficiens ad irritationem prioris consensus; quia irritatione facta, indirectè tollitur obligatio sponsalium per subductionem materiæ. Hæc tamen potestas irritandi non est concessa Episcopo, ut colligitur ex c. 10 de sponsal., cum jus quæsitum tollere non possit nisi supremus princeps.

3.^o Sponsalia priora non dissolvuntur per posteriora jurata, vel per copulam firmata: ita comm. ex c. 22. et 31. de spons. Ratio primi, quia per sponsalia priora jus matrimoniale est uni promissum; ergò de jure naturali validè promitti alteri nequit, etiam accedente juramento; quia hoc in præjudicium tertii non tenet c. 28. de jurej., ne sit vinculum iniquitatis: unde posteriora sponsalia sunt jure naturali invalida, neque obligant, etsi priora dissolverentur; nisi per accidens sub hac conditione inita fuissent, ut valerent, si priora dissolverentur. Ratio secundi, quia copula illicita non tribuit jus resolvendi priorem contractum, neque per illam tolli debet jus alteri sponso quæsitum; ergò.—Excipe locum, ubi Trid. non viget: ibi enim, si copula facta est affectu conjugali, sponsalia secunda transeunt in matrimonium. In illo casu, quo sponsa secunda deflorata, ignara priorum sponsalium, pateretur damnum aliter non reparabile, nisi per matrimonium, sponsa prior saltè ex charitate teneretur remittere ejus suum, ut docet Sanchez. Ad id tamen in rigore ab Episcopo cogi non posset: quia non apparet jus aliquid, ratione cujus cogatur aliquis cedere jure suo, ut proximus à gravi damno liberetur. In praxi parochus vel Episcopus suadere potest amicabilem compositionem, si hæc sit possibilis.

^a.—Agitur de hac materia in Decreto 27. q. 2 maxime *Can. fin.* et in Trid. S. 24. *Can. 2* et examinatur hic duplex impedimentum *ligaminis*: alterum *impediens* ortum ex sponsalibus; alterum *dirimens* ortum ex matrimonio. Ne vero rubrica ista sit incompleta, in ea subintellige alteram partem: *de sponso duarum*.

Dices: Conditio defloratæ est favorabilior et æquitati conformior, quia ista certat de damno vitando.

R. N. A. Nam etiam prior sponsa certat de damno vitando, ne jure quæsito spoliatur: imò si per tales deflorationes priora sponsalia solverentur, lata esset porta ad dissolutionem plurium sponsalium.

4.^o Sponsalia per subsequens matrimonium cum alia initum probabiliter non solvuntur, sed tantum suspenduntur; ita Adrian., Vega, Schmier, Schmalz. et alii contra Sanchez, Laym., Gultier etc. quorum sententia est æquè probabilis. Prob. 4.^a negativè; nam talia sponsalia non solvuntur jure naturali; quia hoc jure stat obligatio sponsalium cum matrimonio, quatenus respicit tempus habile soluti matrimonii; neque solvuntur jure positivo (*c. 4. h. t. cap. 22. et 31. de sponsal.*); quia in his juribus plus non dicitur, quam priorem fidem esse violatam, matrimonium valere cum secunda, neque conjuges esse separandos; non verò dicitur sponsalia esse penitus extincta; ergò. Ratio est, quia lex justitiæ non admittit, ut pars lædens, per iniquum matrimonium eximat se ab obligatione justitiæ in primis sponsalibus contracta; ergò talis obligatio perseverat, ut soluto per mortem matrimonio, sponsus teneatur priorem sponsam ducere. Interim ex parte innocentis, si vult, est justa causa resiliendi à sponsalibus, et ad alia vota convolandi.

Dices:—I. *Can. fin. 27. q. 2* violanti fidem sponsalium sola pœnitentia imponenda est, ibi: *Pœnitentiam debet agere de fide mentita*.—II. In *cit. 22. de sponsalib.* ibi: *Quia primam fidem irritam fecit*; ergò priora sponsalia irritantur seu solvuntur, ut dicitur in summario.—III. Fortior obligatio perimit debiliorem (*arg. c. 5. de regul. in 6.*); sed obligatio matrimonii est fortior obligatione sponsalium; ergò.—IV. Triste est et plenum periculi expectare mortem alterius conjugis, *arg. l. 83. §. 5 ff. de V. O.*, ubi rejicitur obligatio dandi rem sacram et stichum, ubi illa profana, et iste servus fuerit: idem reperitur *l. 98. §. fin. ff. de solut.*—V. Venditor secundo emptori rem tradens, non tenetur eam tradere primo, etsi redeat in ejus dominium (*l. 15. C. de R. V.*); ergò à pari.

R. *Ad I.* Propter hoc delictum pœnitentia imponenda est; sed per hoc prior obligatio non extinguitur.—*Ad II.* Facere fidem irritam, est illam violare, sed non obligationem illius penitus extinguere: sicut voventes castitatem, si contracto matrimonio, primam fidem irritam fecerunt, nihilominus ligantur voto castitatis, ut soluto matrimonio, aliud inire nequeant.—*Ad III.* Si fortior obligatio quæsita sit eidem personæ, extinguit debiliorem, sicut votum strictioris Religionis extinguitur per professionem in laxiori Religione, idque propter conscientia tranquillitatem (*cit. c. 5.*); at hic obligatio sponsalium et matrimonii quæsita est diversis personis.—*Ad IV.* Periculum istud prior sponsa non induxit, adeoque per accidens est. Paritas de re sacra et sticho non probat, quia favore Religionis et libertatis res sacra et servus manumissus plenè ponuntur in alio statu, et extra commercium humanum: at maritus non ponitur extra statum contrahentium, quia soluto matrimonio, contrahere potest, sicut dari stichus promissus interim ab hostibus captus, et area promissa, in qua do-

minus ædificavit, postquam impedimentum captivitatis et ædificii sublatum fuerit (*cit. l. 98.*)—*Ad V. N. A.* ex multorum sententia; quia jus personale primi emptoris non est extinctum; ergo si res ad venditorem redeat, tenetur eam primo emptori tradere. Vel *O. A. et N. C.*; nam solutio matrimonii pendet à causis naturalibus, adeoque obligatio in illud tempus habile rectè subsistit; econtrà recuperatio rei venditæ et traditæ pendet à causis liberis, et pendet etiam à voluntate venditoris, ut eo nolente, non acquiratur ei; adeoque obligatio ista pendens à voluntate obligati, est prorsus inutilis. Unde in tali casu jus venditorem vult condemnari ad interesse primi emptoris (*l. 1. pr. ff. de action. emp.*)

5.^o Obligatio contrahentis sponsalia secunda est, ut repararet omnia damna inde secuta, sive primæ, sive secundæ sponsæ; nam delicto suo proximum ladens, tenetur ex justitia læsionem et damni illationem resarcire. Unde si sponsa secunda ignarâ priorum sponsalium (scienti contrâ et volenti non fit injuria) deflorata est sub spe et promissione matrimonii, et prior sponsa jus suum non vult remittere, damnum inde secutum reparandum est; et quidem in conscientia ante sententiam Judicis. Si verò nullum damnum sequatur, sponsus ad nihil tenetur, cum sola virginitatis ablatio non sit pretio æstimabilis.

49. Q. II. *An ex matrimonio, seu sponsalibus de præsentibus oriatur impedimentum ligaminis dirimens aliud matrimonium, priori stante, contrahendum?*

R. 1.^o Affirmativè (*c. 1. 2. 3. et fin. h. t.*); nam matrimonium de Jure naturali est conjunctio unius viri cum una muliere juxta illud; *erunt duo in carne una*; ergo matrimonium ita ligat conjuges, ut in sensu composito aliud non admittat. Unde primum matrimonium ratum non solvitur per subsequens consummatum (*c. 31. de sponsal. c. fin. h. t.*), quia corpus uni traditum, alteri invalidè traditur. Et quia hoc impedimentum est juris naturalis, hodie sublato per Christum libello repudii, ligat etiam Judæos et alios infideles.—Nec obstat *c. 3. h. t.*, quòd Pontifices aliter circa hoc judicaverint; nam judicium istud non fuit cathedralis definitio, sed forsàn privata litis decisio aut opinio, in qua Papa errare potest.

Dices: Si ligamen matrimonii est Juris naturalis, nec Deus in eo dispensare potuisset, quod falsum esse constat ex libello repudii et polygamia Patriarcharum.

R. D. S. Si est Juris naturalis absoluti, et quoad materiam invariabilis, sicut mendacium, hæresis etc. C. S. Conditionati et quoad materiam variabiles, N. S. In illis circumstantiis, in quibus Deus remittit jus conjugale, vel uni viro concedit jus in plura corpora uxorum, jus naturale non extendit se ad ejusmodi matrimonia, utpotè ex parte materiæ subducta à communi obligatione.

2.^o Polygamia, seu pluralitas uxorum cum eodem viro simul, adversatur juri divino et naturali: ita quoad rem comm. DD. catholicorum cum Trid. S. 24. *Can. 2.* Negantium verò opinio sanè est intelligenda, quòd scil. polygamia non adversetur juri naturali absolutè et ex parte materiæ immutabili, sicut ei adversatur odium Dei, mendacium et similia, quorum

materia in nulla circumstantia cohonestari potest. *Prob. de jurediv. Gen. 2. v. 24.*, ubi Adam, vel potius Deus ore Adami dixit: *Adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*: non *uxoribus*, nec *plures*, sed *duo* in carne una, ut advertit Innoc. III. *cap. 8. de divort.*; et Christus Dominus *Matth. 19. v. 9.* dicit eum mœchari, qui, uxore dimissa, aliam ducit; et à fortiori, si prima retenta, aliam superinducat. *Prob. de jure naturali*; nam præceptum illud, quod Deus per os Adami publicavit, non erat merè positivum, sed simul naturale; cum præter præceptum de pomo non comedendo, non fuerit aliud in paradiso merè positivum, ut communiter fatentur Doctores. Ratio etiam est, quia pluralitas uxorum adversatur bono matrimonii, et fini saltè secundario: nam contraria est *bono pacis* et tranquillitatis domesticæ, quia pluralitas uxorum causa est discordiarum: *bono prolis* seu generationi saltè secundum quid, quia vir pluribus copulatus fecundus esse solet, ut patet in Salomone ex tot uxoribus unum Roboamum suscipiente (*3. Reg. 1. v. 43.*): *bono uxorum* seu remedio concupiscentiæ, quia singulæ ex pluribus uxores pro placito suo non possunt uti marito; ergo. His accedit communis consensus gentium benè cultarum, quæ matrimonium in conjunctione unius viri cum una fœmina constituunt. Quia verò corpora humana substantiâ supremo dominio divino, ideo communis TT. et Can. docet, Deum ex parte materiæ dispensare posse, ut unus vir jus habeat in plura corpora mulierum.

3.^o Polyviria, seu pluralitas virorum cum una uxore omni juri est contraria; nam adversatur primario bono et fini matrimonii, scil. *generationi*; quia hæc impeditur ex admissione plurium virorum, ut patet in meretricibus: et *bonæ educationi* prolis; quia pater esset incertus, et ita quisque prolem negligeret. Judico tamen de absoluta potentia Dei fieri posse, ut una mulier matrimonio copuletur pluribus viris; nam hoc totum subest dominio Dei: neque tale matrimonium continet materiam absolutè incohonestabilem, aut primario fine frustratur; siquidem tali casu Deus providere posset, ne noceretur generationi et bono prolis; maxime si viri successivè post singulas generationes essent admittendi.

4.^o Polygamia plurium uxorum sub uno viro nulla humana potestate concedi potest: ita comm., quam sequitur Inn. III. *c. 8. de divort.*, S. D. in 4. *d. 33. q. 1. ar. 2.* Nam jus in corpora Deus suo dominio reservavit; nec talem potestatem relaxandi jus naturale et divinum principibus aut Pontificibus concessit.